



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius**

**Ginther, Anton**

**Augustæ Vindelicorum, 1733**

**VD18 12431648**

Consideratio CLVIII. Christus crucifixus est Bibliotheca nostra, & liber scriptus intùs & foris ab omnibus legendus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

suos sanitati restituit! Audi S. Bernhardum: *Filius Dei altissimi iubetur occidi, ut vulneribus meis pretioso sanguinis illius balsamo medeatur.* S. Bernhard. serm. 4. de Nat. Dom.

7. Ezechias Rex, ubi impensissimè DEum in agritudine sua pro salute & restitutione virium oravit; & nunc intellexisset adhuc quindecim annos ad vitam suam adjiciendos, lætus de lecto surrexit, & in signum grati animi DEO sospitatori suo carmen eucharisticum cecinit, ubi inter alia habet: *Projecisti post tergum tuum omnia peccata mea.* Et quomodo hoc? quomodo Deus peccata nostra post tergum suum solet projicere?

8. Pereleganter prædictus Hugo Cardinalis: *In cruce, inquit, proprie projecit Dominus omnia peccata nostra post tergum suum, tanquam crosellum latronum, id est omnium nostrum portans. Et ideo in cruce suspensus est, tanquam inventosello latronis super eum.* *Eccè infinitum erga nos amorem hujus divini Medici, dum peccata nostra in cruce post tergum suum projicere voluit, ne scilicet ea videret antefaciem suam ad puniendum.* Hinc Psalmista rogavit: *Averte faciem tuam à peccatis meis: Et omnes iniquitates meas dele.* Hoc & ego humiliter rogo, & non obstantibus sceleribus meis adrepo fidenter ad Deum meum, non jam fulmine armatum, sed undique vulneratum in cruce, exclamans contritus:

*Parce mihi Domine &c.*



# CONSIDERATIO CLVIII.

Christus Crucifixus est Bibliotheca nostra, & liber scriptus intus & foris ab omnibus legendus.

*Non judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum.* I. Cor. 2. 2.

1.

**M**irabilis erat illa conversio Eunuchi Reginae Candacis thesaurarii & viri potentis, qui, cum ab Hierosolyma in cuius templo DEum adoraverat, in patriam & Æthyopiam reditum pararet, in curru Scripturam legit, & inter alia Isaiam Prophetam. Interim Spiritus Sanctus S. Philippum Diac-

Ffff 2

num

num excitabat, ut se currui illius adungeret, & dictum Eunuchum tunc adhuc Gentilem in fide Orthodoxa instrueret; Legit autem ex Isaia istum textum: *Tanquam ovis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram torquente se sine voce, sic non aperuit os suum.* Hastitabat hic Eunuchus, nec se poterat juvare, aut resolvere, unde ad D. Philippum conversus: *Obsecro inquit, de quo Propheta dicit hoc? de se, an de alio aliquo?* Hic Philippus occasionem nactus evangelizandi Jesum & hunc crucifixum, prædictum Isaia capitulum quinquagesimum tertium, quod totum de Christi passione agit, disertè & cum fervore explicavit, ex quo sermone Christum agnovit Eunuchus, in eumque credidit, *Credo Filium Dei esse Jesum Christum;* hinc & ab illo baptismum petiit, & impetravit. Si hoc potuit efficere unicus S. Scripturæ textus de passione Christi, quid non faciet feria meditatio de Crucifixo Jesu, qui est *liber scriptus intus & foris*, imò univèrsa Bibliotheca nostra?

Exech. 2. 9.

Tirim. & alii  
interpret.

2. Ptolomæus Philadelphus Rex Ægypti, qui ante Christum annis 279. regnare cœpit, optimis libris Bibliothecam suam instruxit, in quem finem viros eruditos ac sapientes numerò septuaginta duos ex Judæa petiit, qui totum Testamentum ex Hebræo in Græcum transtulerunt, uno quasi animo, uno ore, uno calamo, licet fuerint ab invicem separati, ita ut nullus eorum ab aliis in ullo puncto dissentiret. Et hæc translatio summæ semper auctoritatis in Ecclesia tum Judaica, tum Christiana fuit; Numerus autem librorum illius Regiæ Bibliothecæ ad septuaginta millia excrevit. Mitto hic Bibliothecam Romanam in Vaticano, quam Sixtus V. Pont. Max. pulcherrimo ordine instruxit, adauxit, adornavit.

1. Cor. 2. 2.

Hadrian. Lyr.  
1. 6. c. 16.

Verùm aliam ego quæro Bibliothecam, in qua thesauri omnium scientiarum sunt repositi, in Christo enim Jesu Crucifixo, tanquam in libro vitæ, continetur omnium librorum breve compendium, & verbo unico comprehenduntur omnia, quæ fieri, quæque amari possunt ab Amatore Crucifixi, idè Apostolus profitetur: *Non judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum.* O si omnes essemus tales!

3. Testes omni exceptione majores tibi fisco. Erant quondam Parisiis in celeberrima illa Universitate S. Thomas Aquinas Doctor Angelicus & S. Bonaventura Doctor Seraphicus, viri Sancti, & in omni sacra doctrina excellentissimi, ac singulari Religiosæ amicitia vinculo sibi conjunctissimi. Visitaverat aliquando Angelicus Seraphicum interrogans eum, ex quibus libris suam tam eminentem doctrinam hausisset? Qui ostendit ei, an Augustinum? an Chrysostomum? an Ambrosium? vel codicem Justinianæum? vel Decretorum & Canonum pandectas? Nihil horum; quid ergo; Itur ad Musæum, aperitur pulpitem, produ-

citur quid? Ecce devota quædam Christi in cruce pendentis imago, osculis attrita, & lacrymis signata: *Hic*, inquiebat Bonaventura, *liber meus, & tota Bibliotheca est.* Gavivus Thomas amico optimo suo gratias agit, & ipse deinceps eundem librum, uti jam ante fecerat, impensè ac summo cum fructu legit, unde à Christo Crucifixo trinâ vice audire meruit: *Bene de me scripsisti Thomâ.* Vide anime mi, quantum Sanctissimi ac sapientissimi Viri æstimârunt Christum Jesum & hunc crucifixum, liber enim vitæ est, in quem prædestinati ad gloriam inscripti sunt: Quisquis in hoc libro repertus non fuerit, non introibit in regnum Beatorum: *Non intrabit in eam (Jerusalem coelestem) aliquod coinquinatum, nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni;* Et hic liber est scriptus intus & foris, intus per immensam charitatem, quâ dilexit nos, & tradidit se ipsum pro nobis, foris per SS. Vulnere, dum à planta pedis usque ad verticem non erat in eo sanitas.

4. Præcepit quondam DEus Habacuc Prophetæ, ut librum caracteribus majoribus scriberet, atque in tabulis explanaret, ut eum quilibet sic in lignea tabula expansum legere posset: *Scribe visum, & explana eum super tabulas, ut percurrat, qui legerit eum.* Hadrianns Lyræus & multi alii per illum librum super tabulas explicatum, Christum in cruce distentum intelligunt; hunc librum quilibet, etiam indoctus poterit legere, quia in eo sunt omnes scientiarum thesauri repositi: *Hæc mea*, solebat dicere S. Doctor Mellifluus, *sublimior Philosophia est, scire Jesum & hunc crucifixum.* O felices nos, si diligenter hunc librum legerimus: *Si Jesus crucifixus*, ait devotissimus Kempensis, *in cor nostrum veniret, quam citò & sufficienter docti essemus.*

Est autem hic liber impressus propè Hierusalem in Officina montis Calvariæ, ad signum Tau; Typis iniquorum Judæorum; Sumptibus Jesu Nazareni Regis Judæorum; Anno ætatis ipsius tertio supra trigessimum; Cum licentiâ Patris Æterni; Operâ Pilati Præsidis Romani, qui tradidit eis illum, ut crucifigeretur. Pretium hujus libri est sine pretio, ita ipse Venditor: *Venite, emite absque argento & absque ulla commutatione.* Constitutum igitur tibi sit, ô mi Lector, hunc librum legere, exosculari, & cordi altè imprimere iis caracteribus, quos nulla expugnat ætas; Perfectò anima Christiana hic tua res, & salus ipsa agitur: *Non enim est in alio quo alio salus.* Aut ama Christum Jesum crucifixum, aut vade in infernum.

5. Cæterum observatu dignum est, quare pientissimus orbis Reparator Christus, ubi paulatim tempus passionis appropinquabat, Discipulis suis secretò & in abscondito intimaverit, quæ & quanta sibi essent sustinenda: *Et ascendens Jesus Jerosolymam, assumpsit duodecim Discipulos secretò, & ait illis: Ecce ascendimus Jerosolymam, & Filius Hominis tradetur principibus Sacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum Gentibus ad illuden-*

studendum, & flagellandum, & crucifigendum. Observa, hæc in secreto facta sunt, & in ultimo ascensu Christi in Jerusalem; sed paulò post ubi pro salute nostra in cruce mori voluit, non secretum locum elegit, sed publicum, montem eminentem, civitatem regiam, diem celeberrimum, ubi millia millium ad festivitatem Paschalem confluerant. Quid ergo indicat hæc diversitas? Cum Discipulis loquitur de Passione in occulto, & illam subire vult in publico?

Sandæus in Ascetico. u. 8.

Ezech. 2. 9.

Fr. Cherubius in vita I. 2. c. 16. Obiit anno Chr. 1275. ætatis 52.

2. Sandæus: Nimirum significare voluit, quæ patiebatur in publico, multa habere in abdito, quæ non nisi Discipulis, crucis amatoribus manifesta sint: qui enim verè amat crucifixum IESUM, & in hoc libro studet, rubris scripto characteribus, inveniet ab initio lamentationes & carmen & va, lamentationes quidem ob contritionem suorum peccatorum: Carmen & va ob spem præmii & poenæ timorem, sed tandem si attentè hunc librum pervolveris: Erit in ore tuo tanquam mel dulce, quia viam Dei in veritate docet.

6. Testem adduco S. Philippum Benitium, Patricium Florentinum, qui flans in bivio, ad quam Sacram Religionem se converteret, ad Pedes cujusdam crucifixi orans hanc à Salvatore claram vocem audivit: *Vade Philippe ad montem Senarium, ibi te docebo*, in quo monte velut novus Isaac in summa inedia, oratione, vigiliis ac exteris corporis afflictionibus aliquot menses & quadragesimam transegit, ac crucifixo IESU in obedientiæ victimam se presentavit; unde meruit etiam à B. Virgine visitari, quæ in aureo & triumphali curru, à leone & ove tracto, Angelis stipata illi apparuit, ad quem cæli Domina: *Philippe accede, & adijunge te ad curram istum*. Intellexit divinam voluntatem Benitius, & ingressus Ordinem Servitarum, seu Servorum Mariæ & Matris Dolorosæ, in eo Quintus Generalis electus est, à puero pietati semper deditus, & addictus singulariter devotioni, quæ habetur erga Christum in cruce suffixum, & dolorosissimam ejus Matrem sub cruce stantem.

Cum extremo morbo laboraret, & nunc suprema instaret hora, petiit instanter à Fratribus strato circumfusis librum suum: *Librum meum date, quis eum eripuit*. *O librum, qui omnia bona mea continet: quærite eum Fratres, non enim sine eo diutius vitam trahere possum*: Perplexis omnibus atque ignavis, quem tandem librum intelligeret, advertit Frater Ubaldu Adimarius Philippo optimum ac quotidianum librum fuisse Crucifixum Dominum, quem semper aut in manibus, aut in pectore gerebat, qui ubi illi portectus, suavissimè deosculans SS. 5. Vulnera IESU, & submissa ac fracta voce Psalmum trigesimum recitans: *In te Domine speravi, ad illa verba: In manus tuas Domine commendo spiritum meum*, animam cælo placidè reddidit. *O mi Lector, & amator Crucifixi IESU & SS. Matris ejus dolorosæ, ecce finem illorum, qui Christum amaverunt in vita sua, & neque in morte ab illo fuerunt separati. Fac similiter.*

CON